

**Palpebrarum tumores cystici : casusque specialis magni tumoris
steatomatico-scirrhusi e palpebra superiore et orbita feliciter nuperrime
extirpati ... / respondente Christ. Theoph. Weber.**

Contributors

Weber, Christian Theophil.
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Erhardtianis, [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/es5gzsz5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

30

PALPEBRARVM
TVMORES CYSTICI,

CASVSQVE SPECIALIS
MAGNI TVMORIS STEATOMATICO-
SCIRRHOSI E PALPEBRA SVPERIORE ET
ORBITA FELICITER NVERRIME
EXTIRPATI.

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE
MEDICA,

PRAESIDE

BVRCARD. DAVID.

MAVCHART,

MED. ET CHIR. D. CONSIL. ET ARCH.

WIRTTB. THEOR. PRAX. ANATOM.

ET CHIR. PROF. ORD.

RESPONDENTE

CHRIST. THEOPH. WEBER, Micro-Bottvv.

PRO LICENTIA

SVMOS IN MEDICINA HONORES, ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PVBLICE VENTILATI.

D. NOVEMB. A. MDCCL.

TVBINGAE
LITTERIS ERHARDTIANIS.

PALPITATIONES

CAUSAS ET SYMPTOMA

ET TRACTATUS

AVTHORE THOMAS STANTON

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

CHICAGO: GRAYSON &

WALKER

PRESIDENT

DAVID B. STANTON

M.D.

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

RESPONDENT

THEOPH. WEBER, M.D.

PROFESSOR

OF MEDICINE IN THE

UNIVERSITY OF

CHICAGO

CHICAGO: GRAYSON &

WALKER

CHICAGO



§. 1.


P

alpebras oculi humani, superiorem ac inferiorem, quid vocemus vulgo notum est. Quod vero consistit communibus integumentis valde tenuibus, musculo orbiculari, utramque cingente palpebram, (& superior suo insuper attollente, seu elevatore musculo, ac ductibus

glandulæ lacrymalis excretoriis) limbo cartilagineo, tarso dicto, pilis ciliaribus ornato, & denique in superficie interna gaudeant tunica vasculosa, conjunctiva palpebrarum dicta, atque glandulis Meibomii sebaceis, quibus omnibus per sua vasa arteriosa, venosa, lymphatica ac nervos abunde prospectum sit, id quidem in præsentī tractatione præsupponimus magis, quam pro dignitate prosequimur.

§. 2.

Subsunt palpebræ variis non modo in genere præternaturalibus affectibus, sed etiam *in specie tumoribus*: œdemati, hydatidi, emphysemati, erysipelati, phlegmonæ, furunculo, apostemati, anthraci, fungo, scirrho, cancro occulto, chalazio, hordeolo, meliceridi, atheromati, steatomati. Seli-gemus hac vice pro themate dissertationis tumores sic dictos cysticos palpebrarum, id est peculiari, proprioque conclusos folli-




folliculo, quorum communiter tres faciunt species, meliceridem, atheroma, ac steatoma.

§. 3.

Meliceris, μελικηρίς, componitur ex μέλι, ιτος, τὸ, mel & κηρίον, ἄ, τὸ, favus, cerea cellula, mel recondens. Veteribus ergo ac recentioribus est tumor, in peculiari tunica vel capsula includens humorem melli similem, quoad consistentiam, e cujus incisa & aperta cystide, humor non secus ac mel e favo effluit. a) *Hippocrates* quidem noster Cous b) meliceridis mentionem faciens, dubium reliquit, quid ibidem per μελικηρίδα in articulis factam intellexerit? an crassi humoris redundantiam, quæ nec per sudores, nec per urinam expurgetur, sed in articulos decumbat, hisque, ut asserit, vel claudicationem afferat, vel meliceridem? ane ergo vel verum, quem hodiernum vocamus, abscessum, loco puris, meligeno, crassiore humore refertum? an liquorem glandularum, quas recentissime quidem detexit, & hoc nomine appellavit, *Havers*, mucilaginosarum, in cavis articulorum obviarum, inspissatum, quin denique induratum? an vero tumorem, qui articulos, gerua maxime, extus aliquando circumfidet, fungosum, & in loculis suis vario humore lento, tenacique scatentem? an vero, quod propius huc spectaret, similem humoris glutinosi, pellucidi, proprio inclusi folliculo, collectionem circa articulum, qualem observavit olim *Præses* in summitate genu viri cujusdam Parisini, & quam *Celeb. Chir. Dn. Gerard* feliciter extirpavit, significaverit, dubium est? Male vel interpretes & commentatores in loco hoc Hippocratis adsuunt explicationem meliceridis per abscessum, illam-

a) Galenus L. de tumoribus præternaturalibus p. 83. b. (vid. not. nostram c.) it. de method. med. C. 12. Aëtius Tetrabibl. IV. Serm. 3. c. 6. 7. Paul. Aeginet. Encheirid. tot. med. L. 6. C. 36. & L. 4. C. 34.

b) Hippocr. Prorrhetic. L. 2. §. penultimo in Edit. Foës. operum Hippocr. dicto Libr. 2. p. m. 113.



illamque ad abscessum, tanquam genus suum revocant, cum in textu originali ne verbum de abscessu occurrat. *Galenus* dicit, c) meliceridem, atheroma, & steatoma ab aliis referri ad abscessus, ab aliis vero ad aliud genus: horum vero affectuum naturam patere ex ipsis nominibus, quatenus materiam contineant vel melli, vel pulticulæ vel sevo similem, ut plurimum vero tunica quadam membranosa omnia hæc contineri. Meliceridis vero acceptionem æquivocam esse, & aliquando etiam sumi pro ulcere capitis cutem perforante, quod proprie *κυστίον* vocatur, patet ex *Aëtio* atque *Celso*.

§ 4.

Atheroma, derivari ab *ἀθήρα*, vel *ἀθήρη*, quod genus esse pultis frumentaceæ, statuunt *Galenus*, *Paulus* d) aliique, & hinc atheroma vocant, quod materiam contineat pulti similem. *Steatoma* vero, derivatur a *στάσις*, *αίος*, τὸ, sebum, quando tumor cysticus materiam sebo analogam habet: vid. Autores modo allegati. Quamvis autem in ejusmodi tumoribus tunictis præter tres illas contentorum species, multifaria etiam reperiantur alia, substantiæ vel solidæ magis, vel fluidæ, e. g. concrementa solida cartilaginea, ossea, arenulosa, gypsea, calculosa, corpuscula teretia quasi vermiculosa, globulus pinguedinis, glomer & nodus ex implicitis pilis, mucilago instar spermatis ranarum, liquor fluidus coloris lixiviosi, vel spissior instar fecis vini &c. qualium exempla vidit *Præses* in propria praxi; tamen recte hætenus substiterunt recentiores medici in triga specierum, ne multiplicarent entia præter necessitatem, & in eo convenerunt a potiori, ut propriam membranam sive cystidem, quæ diversam materiam contentam includeret proxime, cunctis adsererent, licet eam *Galenus* tradiderit (§. 3.) ut plurimum tantum adesse. In steatomate quidem

c) *Galenus*, ex edit. Juntar. Venet. 1609. in fol. tert. classis Libror. Galen. de tumoribus præternaturalibus C. 5. p. 83. b.

d) *Paul. Æginet. Encheirid. tot. Med. L. 6. C. 36. Galen. meth. L. 14. C. 12.*

dem, quo magis grandescit, eo magis oblitteratur, & distincta non occurrit amplius ea tunica propria, quæ in principio & in minore steatomate distincta adfuit, sed confunditur, complicatur, arctissime cohæret, aut denique ob nimiam distensionem crepat, atque dilaceratur, quod quidem rarissime fit, uti plus semel in eorundem vel extirpationibus, vel sectionibus hominum, alio morbo defunctorum, sed tumores cysticos hic ibi, extus vel intus, alentium, deprehendit *Præses.*

§. 5.


Facile *distinguuntur* tres hæ tumorum cysticorum species, *ab emphysemate* palpebrarum, quod diffusum hoc inferat tumorem, aëreum, sive flatulentum, pressioni cedentem, sed cito redeuntem, quique aliquando sonum sibilumque hinc reddat: *ab œdemate*, quod hujus tumor pariter totam occupet palpebram, sed mollis sit, & vestigia impressa servet aliquandiu: *ab hydatide*, sive vulgari, quæ lympham continet pellucidam, sive speciali, quæ abs Celso, Galeno, Paulo &c. inter singulares palpebræ superioris recensetur affectus, & proxime infra glandulam lacrymalem ordinarie occurrens constat pinguedine in globulum, & singularem massam coacta, quod vulgaris hydatidis per elatam vesiculam, tenui vestitam tunica, translucens facile agnoscatur; specialis vero altera hydatidis mollem, inæqualem, & pressioni retrocedentem efficiat tumorem; cum vero talismodi hydatidis pinguedinosa proprio inclusa fuerit folliculo, quod per nonnullorum authorum descriptiones haud obscure videtur innui, tunc uti nulla fere re differt a steatomate, ita nec distinguitur. *Difficilius autem a se invicem distinguuntur*, antequam aperiuntur, *meliceris*, *atheroma*, ac *steatoma*; steatoma quidem majorem tactui duritiem offert; meliceridis vero liquor contentus, etiamsi fluidior, folliculum suum ita tendere solet, ut a crassiore atheromatis humore vel pulte non facile dignoscatur, nisi foveis impressis citius resilientibus. Neque vero magni interest, respectu curationis, an meliceris sit, an atheroma, tumor ille palpebræ?

§. 6.

§. 6.

Phænomena atque *signa* cæterum habent *communia*. Cutis superexpansa hisce tumoribus cysticis ordinarie debitam servat coloris, crassitiei, ac mobilitatis qualitatem. Aliquando tamen, & per notabile tumoris augmentum, vasa cutis fiunt varicosa, color naturalis mutatur in rubro-lividum, substantia incrassatur. Nullus vero dolor, nullus rubor inflammatorius infestant. Principium exile est, ciceris vel lenticulæ magnitudine, incrementum tardum, successive tamen, & per annos notabile, aliquando stupendum, ut hinc demum, si palpebrarum externæ magis parti inhæreat, pondere suo & mole incipiat molestare, palpebram superiorem deprimere, bulbum oculi obtegere, ejusque motum elevatorium impedire, quin tandem radicibus in orbitam diffusis, sede sua expellere, & oculi prolapsum efficere, affluxum & inflammatoriam stasim concitare.

In palpebra inferiore autem, & externe magis innidulans atque augescens tumor cysticus, illam attollit, tarsum introvertit ac *Entropium* parit. Quemadmodum e contrario, si tumor internam magis superficiem palpebrarum obsideat, tunc in inferiore *Ectropium*, in superiore hiantes palpebras, nudatum a palpebra superiore bulbum maxima parte, molestamque frictionem, gravationem, irritationem bulbo impingit. *Omnes basin* habent ordinarie latiore & immobilem, ac dum tenues sunt, parum vel extra cutim, vel tunicam palpebrarum conjunctivam prominent. Quando aperiuntur, aut post extirpationem examinantur, materia eorundem contenta variæ, quam supra (§. 4.) declaravimus qualitatis se manifestat, benignæ ut plurimum naturæ, & rarissime cum aliquo foetore conjunctæ. *Folliculus* vero proprius a potiori instar validæ, albo-rubescens se tunicæ habet, quæ extus undique mox tenacius, mox leviter, vicinis accrevit partibus, & vasa sanguinea recepit tam arteriosa quam venosa, plus minus notabilia ac copiosa; intus vero in meliceride ac atheromate, superficiem in aliis aliam exhibet, æqualem, vasculosam, granulosa, albam, rubro-lividam, nigricantem: in steatomate
ubique



ubique concretam arcte cum suo contento sebaceo, lardo, scirrhoso, sic ut in majore steatomatis augmento non possit bene distingui propria ejusdem tunica.

§. 7.

Prognosis. In universum uti dolore, sic periculo carent, nisi vel grandescenti mole aggravent, comprimant, ac orbita expellant bulbum ocularium, palpebræ inferiori incumbentes, hanc tumefaciant, bulbum irritent, velum quasi corneæ prætendant, visumque impediunt: vel emollientibus intempestive in fermentationem suppuratoriam, aut cathæreticis in inflammationem, quin & canerosam malignitatem præcipitentur. Diu & per annos sub lento eorundem incremento impune & citra molestiam gestantur, sola deformitate molesti: quo autem vel latiores vel profundiores, vel majores, vel tarsi palpebrarum sunt propiores, aut internam magis palpebræ superficiem infestant, eo quoque sunt difficiliore in operatione, & tractatione chirurgica. Dum exiles sunt, & in principio, auscultant aliquando remediis, atque topicis pharmaceuticis, & blandæ frictioni diligenter repetitæ. Raro in suppurationem deduci possunt emollientibus, imo ordinarie non debent. Causticis vero exesi, nimiam aliquando irritationem, affluxum & malignitatem induunt canerosam. Si quando etiam videantur ex usu talium disparuisse, non minus recrudescunt, & nova capiunt incrementa, ac si post folliculi incisionem, apertionem, mundificationem, vel extirpationem, pars folliculi remanserit.


In operatione extirpationis per imprudentiam aut temeritatem lædi facile possunt ac discindi *mox* musculus palpebræ superioris elevator, unde paralysis hujus palpebræ, respectu elevationis, induceretur: *mox* tarsus, unde difficilior consolidatio, ac palpebræ inæqualis & rugosa expansio, resultaret: *mox* glandulæ lacrymalis excretorii ductus super palpebra superiore commeantes, unde congestio & stagnatio liquidi lacrymalis in sua glandula; bulbo autem oculi in anteriore superficie siccitas inferretur: *mox* glandulæ Meibomii sebaceæ, unde liquidi eorum oleosi & sebacei secretio & excretio turbaretur,

baretur, tarsi exsiccarentur, nitor corneæ descisceret &c. aut ophthalmia conjunctivæ palpebrarum efficeretur. Ceterum *cysticus tumor internæ partis*, maxime loco altiore palpebræ superioris, id non modo difficultatis habet in operatione, ut digitis ac instrumentis eo non liceat pertingere, sine gravissimis impedimentis, sed & post excisionem, aut quocunque modo factam tumoris extirpationem, corneæ aliqua labes facile affricetur, aut palpebra cum bulbo concrescat.

§. 8.

Pathologia. *Affectus* ad morbos conformationis pertinet, auctæ magnitudinis, quoad omnes dimensiones, ad tumores. *Subjectum morbi* sunt stamina fibrosa, membranacea, cellulosa tunicarum, musculorum atque vasorum palpebrarum, quæ succos & liquores earum naturales, lymphaticos, serosos, sanguineos recipiunt detinentque, a crasi & qualitatibus suis naturalibus desciscentes, inspissatos, extravasatos, coagulatos, induratos. *Causa* tumorum horum cysticorum *materialis* varia est, supra indigitata, plus minus vel liquida, vel solida: *causa* vero *efficiens* proxima, impuritas, spissitudo, eaque vel seroso-sulphurea magis, vel mucoso-terrestris, vel fibroso-solidescens, stagnatio, extravasatio, successiva congestio sanguinis ac seri, quibus correspondent, tanquam *subjecta causæ*, arteriarum lymphaticarum advehentium, venarumque diameter mutata, infarcta, obstructa, compressa, atque tandem in steatomate concrescens, atque solidescens, unâ cum liquoris sui contenti increassatione, ac induratione magis magisque aucta, manentibus interea aliis vasculis paulo liberioribus, patulisque, quibus & ulterior liquor pro vegetatione & augmento affertur, atque pars aliqua, eaque mobilior, fluidior e tumore resorbetur iterum, crassior vero remanet.

Causæ remotæ sunt omnes eæ, quæ massam humorum successive talismodi particulis viscidis, salino-sulphureis, coagulantibus inficere possunt. Accedit ipsa palpebrarum perpetua & naturalis expositio ad aërem externum frigidum, humidum, stringentem, inspissantem, nec minus cutis palpebrarum tenuitas, & pinguedinis absentia, quæ alias vim &




actionem aëris moderari possent, ac infringere. Si præcesserit, ut aliquando fit, injuria quædam externa, ictus, contusionis &c. qua canaliculi & fibræ distorqueantur, lacerentur, humorum stasis ac extravasatio successive inducantur, fundamentum mali, tumoris cystici, ponitur.

§. 9.

Therapia. Indicationes sunt: tumores hos 1.) dissipare, ac insensibiliter resolvere: 2.) eorundem concrementa inhibere: 3.) extirpare, incidere, abstergere, excindere; 4.) vulnus operatione inflictum consolidare, ac cicatricem, quam fieri potest, minime deformem inducere. *Indicationi primæ*, discussioni scilicet, & resolutioni insensibili, quam aliquando incipientes atque exiles hi tumores admittunt, inserviunt, præter generalia tam interna, quam externa, laxantia, purgantia, venæ sectiones, cucurbitulæ scarificatæ in dorso, humerisque, medicamenta aperitiva & incidentia, (quibus vero enumerandis jam supersedemus) quam maxime etiam topica, discutientia & resolventia: Saliva, item urina tepida hominis sani: sacculi & epithemata, vel sicca vel humida, in vino leviter ebullita, e fl. sambuc., melilot., lavend., HB. hyssop., Sem. fœnic., croco, camphora, hæcque interdum, & frequenti repetitione, denuo calefacta: noctu autem Empl. de ran. c. ꝯio Vig. diabotan. cum aliquibus guttis ol. philos. malaxanda, vel Emplast. de gum. ammoniac., diaphoret. Mynf. Resolutionem hanc non parum quoque adjuvat frequens & lenis frictio.

§. 10.

Indicatio secunda præcipit impedire tumoris ulterius incrementum, si nempe tentata resolutio insensibilis minus e voto successerit, & vel æger, vel tumoris magnitudo ac qualitas incisionem & extirpationem non admittant. Atqui vero licet morari potius, quam penitus impedire incrementum, præcipue si tumor in notabilem jam evectus fuerit molem; tentare tamen oportet, affluxum nimium ad partem affectam moderari, revulsiones & evacuationes per intervalla institueret, purgantibus, diaphoreticis, sanguinis ventilationibus: dyscra-




dyscrasiam humorum corrigere, diætæ ac regimini conveni-
enti studere, emplastris tumorem munire desiccantibus, le-
niter adstrictivis, uti est Empl. diapalm., vel de lap. calama.
vel de minio & similibus. Spes hinc affulget fore, ut aliqua-
tenus & aliquandiu saltem intra cancellos retineatur tumor.

§. II.

Qui vero *curationem* tum maturare, tum *radicalem* atque
constantem tentare voluerint, illi *ad tertiam indicationem*
apertionis, vel incisionis tempestive se accingant. Incruen-
to & mitiore modo negotium hoc aliquando succedit e voto,
si, quod suadet Dn. de Woolhouse vel pulveris cantharidis
unius tantillum, vel globulus emplastri vesicatorii e cantha-
ridibus parati, tumori applicetur, seminis milii, vel capituli
acus capitata mediocris, diametro, ut sic excitata vesicula
cutim aperiat, perforetque successive, quæ tum inter digitos
blande compressa, foramine facto eructet materiam qualem-
cunque contentam. Ne vero latius se diffundat vesicantis re-
medii vis, emplastrum e. g. diapalmæ, e pluribus constans
stratis, & sic spissius redditum, in medio perforatum, sive
quod vocant fenestratum exili foramine, tumori est appli-
candum, & intra illud immittendum remedium vesicans, aut
escharoticum, suprâ vero obtegendum emplastri hians ori-
ficius nodulo e gossypio & fascia molliter circumducenda est
palpebris clausis, & angulis oculi pariter gossypio obtectis,
ut ne ex vesicula excitata & crepante serum acre intra oculum
depluat: ob quam rem pariter, quando hæc vesicula forcice
aperitur, & sub qualibet secutura deligatione ægri caput resu-
pinari, & versus angulum oculi externum declinari debet.

Vesiculæ hujus excitatæ suppuratio, quemadmodum alias
post applicita solet vesicatoria, debet protrahi quantum licet,
imposito betæ, butyro recenti perunctæ, folio, vel folio
hederæ arboreæ recenti, vel emplastro diach. c. gumm. Intra
octiduum, nisi totus evanuerit tumor, vesicula nova, priori
scilicet jam exsiccata, simili modo iterum est excitanda, &
in manatione seroso-purulenta conservanda. Majorem ener-
giam exercet semel iterumque instillata in fenestram em-
plastri



plastri supra memoratam, gutta sequentis aquæ, (nisi quidem nimis diluta videatur,) quam *Woolbusius* commendat: ex aquæ fortis ℥j. aquæ plantag. ℥ij. Immittitur hæc vel ope calami straminei, intincti, vel penicilli, ægri capite valde resupinato, & observatis circa deligationem supra laudatis cautelis; unde similis consequitur excoriatio ulcerosa, quæ unguento digestivo ordinario, vel mundificativo de apio, basilico &c. post sufficientem suppurationem & plenariam tumoris consumptionem, ad consolidationem denique, ope emplastri de lap. calam. perducenda est atque cicatricem. Sed methodum hanc non habere locum in tumoribus cysticis, quæ internam magis partem & superficiem palpebrarum occupant, nemo facile erit, qui non perspiciat.

§. 12.

Ast, si neque hæc methodus recidivam, & nova tumoris incrementa præciderit, superest refugium ad incisionem, & extirpationem tumoris cum suo folliculo, id quod per tertiam indicationem (§. 9.) suavisimus. Hæc vero *extirpatio duplici* perficitur *modo & fine: altero*, ut per solam cutis & folliculi incisionem, tam pateat liberior egressus materiæ contentæ, quam applicatio cathæreticorum, & mundicatoriorum, quibus & folliculus successive consumatur, & ulcus inductum detergatur: *altero*, ut tumor unâ cum sua cystide semel atque simul extirpetur funditus.

Prior modus sic se habet: cutis & folliculus ipse tumoris lanceola inciduntur ac aperiuntur, ea longitudine, quam tumoris magnitudo requirit, transversim, id est, angulis incisionis respicientibus angulos oculi, materia contenta emittitur ac exprimitur confestim, quantum licet, & diductis vulneris labiis fundus folliculi perfricatur vel penicillo, spiritu salis ammoniaci cum calce viva parato, aut spiritu vitrioli vel solo, vel cum melle remixto, imbuto, vel unguento Ægyptiaco, vel lapidis infernalis attactu, totumque vulnus linteo carpto sicco repletur, obtegiturque emplastro defensivo, e.g. de spermate ranarum, pulveris croci, & camphoræ refracta dosi, atque oleo rosaceo malaxato, splenio sive gossy-
pio

pio ac fascia continente. Si metuatur inflammatio, aut acrior superveniat dolor, imponatur cataplasma e medulla pomi tosti, & cum croco & camphora in pulvem redacta. Deligatio per siphonia, vel ocliphonia repetatur, ne acris ichor, quem plorabit vulnus, in oculum destillet. In secunda tertiaque deligatione, novum, exempto priori, immittendum est vulneri linteum carptum. Post hæc vero illinantur & imbuantur undiquaque fundus & latera folliculi tantillo unguenti fusci Fel. Würzii, vel Ægyptiaci, unguento digestivo ordinario remixti, & nodulus olivaris (bourdonet) e linteo carpto, similiter imbutus, ingeratur: unde si rite procedat suppuratio, & cystidis consumptio, fundus ulceris magis magisque contrahetur, angustabitur, aliquando etiam secedent fibræ, & ramenta folliculi, atque roseus vividusque succrescentis novæ carnis color hinc exsplendescet, & plenaria tandem consolidatio methodo absolvetur ordinaria.


Secus si fiat, denuo ac crebrius atteri ac consumi debent parietes interni cystidis, repetitis vel prioribus cathæreticis, vel aliis, vel & cauta scarificatione parietum folliculi, mediante tenui scalpello. Hanc methodum præfert *Maitre-Jan*, e) alteri, quæ plenariam & simultaneam imperat excisionem, quoniam hæc in praxi non ita facilis sit, quam quidem Theoreticis videatur.

§. 13.

Verum enim vero *radicalis folliculi excisio*, non modo nobis, per rationes a priori & posteriori ductas, f) omnino *possibilis* videtur, dummodo tumor non nimium altas egerit radices, aut se luxuriose diffuderit, sed & *aliquando necessaria* esse, cum partes internæ palpebrarum obsessæ vix admittant, aut

e) Maitre-Jan Trait. des malad. de l'œil P. 3. c. 12. p. 554.

f) Vel solus Petr. de Marchettis tria suppeditat exempla feliciter exsectorum ejusmodi tumorum tunicatorum ex angulo oculi interno, & ex interna parte palpebræ inferioris, in Obs. 21. 24. 25.



aut non nisi ægerrime ferant attactum aut vim cathæreticorum. Sic autem adornanda erit hæc *extirpatio cystici tumoris, sub palpebrarum cute* eruendi atque excidendi: scalpello ancipite myrtiformi, vel alio, probe scindente, cutis ope digitorum elevata fit tanta, quantam exigit tumoris magnitudo, transversa incisio, id est, angulos oculi recta respiciens, simplex, nunquam, nisi in summo necessitatis casu, decussata aut crucialis, ob cicatricis futuram deformitatem, cavendo, ne folliculus in illa cutis incisione simul pertundatur. Si gravior suborta hinc hamorrhagia impediatur ultra progredi, fovendum prima die est vulnus aliquandiu, decocto tepido herbæ veronicæ & meliloti, deinde ad vesperam linteo sicco obtegendum: mane subsequenti prosequenda excisio, & remotis linthei carpti impedimentis, arripiendus est atque attollendus folliculus, mediante vel volsella, vel hamulo, vel trajecto mediante acu curva filo duplici cerato, caute ab adhærentibus vicinis partibus, scalpello, vel, quod in non valde magnis fecit Petrus de Marchettis, forfice, separandus ac excidendus totus.

Præcipit *Woolbusius* statim ab hac excisione instillare aliquot guttas opobalsami, sive balsami de Mecha, & lintheum, balsamo Arcei imbutum imponere, hancque vulneris curationem per sistoria repetere, sicque totum negotium tribus absolvi deligationibus contendit. Fieri id posse concedimus, si avellanæ magnitudinem non excefferit tumor, si post folliculi separationem sanguis non fluat vel copiosius, vel diutius: certius autem fieri posse asserimus, si post laudati balsami instillationem labia vulneris adducantur spleniolo oblongo, emplastro bene glutinante obducto. Si prægrandis fuerit tumor, totamque non modo palpebram occupaverit, sed etiam longius se diffuderit atque profundius, tum multo magis seriam induet operatio faciem, magno labore, multis molestiis, bulbi ocularii, quin ipsius vitæ periculo non vacaturam. Casus specialis, quem subnectemus, docebit, qua methodo tum sit procedendum? eo igitur nos referimus.

Ceterum

Ceterum quod Dn. de *St. Yves* g) jubeat in excisione talium tumorum *cutim* digitis elevatam *supra tumorem forcice abscindere*, tanta latitudine, quantam dimidia tumoris diameter constituit, sequendo directionem plicarum, sive rugarum palpebræ, id quidem duplici respectu facere videtur; altero ut magna tumoris superficies uno ictu denudetur, altero, ut pars cutis, quæ post excisum folliculum, redundaret, statim auferratur; Sed in tumore molis exiguæ facile & cito fit ejus sufficiens denudatio per scalpellum, neque cutis ita redundat post folliculi excisionem, ut difformem pariat & rugosam cicatricem, sponte scilicet se contrahens, qua parte laxior fuit ex distensione: in majore autem tumore, cutis non facile tantum & æqualiter attolli potest, aut forfex apte satis applicari, quin vel non satis de cute amputetur, vel ipse folliculus simul corripitur, & intempestive aperitur. Utcunque etiam acuta fuerit forfex, dolorem infert majorem, quam scalpellum, nimiumque, vel non satis, agit, unde illam nec in radice tumoris ressecanda, nisi e petiolo pendeat, adhibemus: aliquando etiam cutis, firmissime adhærens tumori, se non patitur attolli.

§. 14.

Haftenus *dicta pertinent a potiori ad tumorem a fronte aggradiendum i. e. in superficie palpebrarum externa*, inter integumenta palpebræ, & muscolum elevatorem, vel orbicularem, *si vero ille teneat regionem earum internam magis*, hoc est, inter tunicam palpebræ conjunctivam, & muscolum orbicularem, invadendus erit potius a tergo, versus aversam palpebræ partem, præsertim si insideat palpebræ superiori, & loco quidem paulo altiore: quamvis enim in palpebræ inferioris superficie interna inhærens tumor non adeo reluctetur priori excisionis & extirpationis modo, neque etiam hinc tanta difficultas immineat impediendi concretionem præternaturalem hujus palpebræ cum bulbo oculo, tamen in palpebra superiori

g) De *St. Yves* des *malad. des yeux*, p. 121. similem quidem modum jam docuit *Aëtius*.

riori cuncta premuntur multo majori difficultate, immo in utraque palpebra post excisionem tumoris interni, illud se obijcit incommodum, quod & tumor non nisi cum metu læsionis oculi, hamulo vel volsella elevari possit, & scalpellum sub operatione in oculum facile impingat, tarsum, vel glandulas Meibomianas lædat, & suppuratio post excisionem subsequutura labem corneæ queat affricare.

Ratio autem, quæ nonnullos authores, ipsumque etiam *Woolbusium* adegit, ut internum & profundius insidentem tumorem alia quam incisionis & exsectionis methodo impugnaverint, hæc est, quod reformident, quæ per profundam excisionem inevitabilis videtur, læsionem ac dissectionem musculi palpebræ superioris tam elevatoris, quam orbicularis, imo & tarsi, tunicæ conjunctivæ, & glandularum Meibomii, sicque totius palpebræ dissectionem & perforationem, unde malorum, supra jam allegatorum ilias propullularet.

§. 15.


Itaque *alio modo* sic procedit *Woolbusius*, & incisioni ac excisioni *substituit setaceum*: acus curva, plana, anceps, justæ magnitudinis, duobus minimum, distinctis, non contortis filis tenuibus, e gossypio paratis, qualia ad ellychnia vel tibialia contexenda solent adhiberi, aliquot spithamas, quin ulnas longis, instruitur; palpebra superior, quæ acu hac trajicienda est, una cum inhærente tumore stabilitur ope digitorum, ei utrinque versus angulos oculi appressorum; Acus infigitur, ac transfigitur prope angulum oculi externum per integumenta palpebræ, inter fibras carneas & tunicam ejusdem conjunctivam, ac, directione obliqua & declivi versus angulum oculi internum observata, erumpit & educitur in latere opposito circa angulum oculi internum, filaque per acum transmissa in vulnere servantur, eorum vero extremitas acui proxima liberatur ex hujus foramine, aut abscinditur, altera longior extremitas in glomerem convolvitur, & mediante emplastro agglutinatur vel tempori, vel fronti, vel alio loco, quem subsequutura suppuratio non inundet.

Extrahenda dein quotidie est pars filorum, intra vulnus cruore ac pure inquinata, versus angulum internum, & forfice rescindenda, ita tamen ut nova pars filorum longior, intra vulnus promovenda, illinatur prius unguento digestivo, & in foramine vulneris opposito transpicere, sesqui pollicis longitudine sinatur: bina vulnuscula obteguntur emplastro ex unguento rosaceo, atque hac methodo intra 15. dies ex voto percurari tumorem ejusmodi cysticum, notabilis etiam magnitudinis, asseverat supra laudatus Woolhusius, id insuper monens, ut, si transversim, sive juxta longitudinem palpebræ trajecto setaceo, muscoli ejus attollentis discissio metuatur, setaceum injiciatur potius perpendiculare, sive per altitudinem palpebræ, ab ejus margine versus supercilium.

Quodsi etiam metus, quem *Nuckius* atque *Bassius* injiciunt, e simili setaceo, quo hordeolum, & chalazion sive grando palpebræ a nonnullis tolli jubentur, fundatus sit, de allicientis hoc modo magnis doloribus, inflammatione, affluxu, tumore; huic tamen obviam ire licebit non tantum prævia per purgantia, venæ sectionem &c. præparatione, sed etiam mox ab injecto setaceo applicitis topicis, quæ leniant, quæ repercutiant atque resolvant, remediis; Si vero ipse folliculus acu filisque illis adhibitis perfodiatur vel studio, vel casu, medius, tantum abest, ut mali quidpiam hinc augurari, quin potius tanto feliciorum ac certiorum folliculi consumptionem successivam & materiei, in eo contentæ, evacuationem sperare oporteat, liceatque. *Dubitamus* tamen vehementer, *steatomati*, quod duriorum, compactiorum in se habet, & solidam, imo scirrhosam materiam, hanc medendi rationem cum successu felice, aut constante effectu *convenire*.

§. 16.

Supereft ut ultimæ tandem *satisfaciamus indicationi §. 9.* nimirum *laudabilis inducendæ cicatricis*, post tumorem vel cathæreticis, vel excisione, vel setaceo sublato. Ut bellam vero cicatricem procuremus, danda est opera, ut æqualis sit, lævis, mollis, non eminent, nec sulcata, nec in profundum excavata, nec rugosa. In facie, atque sic etiam in palpebra-



rum cute, præsertim eo est annitendum; ideoque in ipsa cutis exesione, & incisione, nec vulnera, præter summam necessitatem, sunt facienda vel nimis ampla ac longa, vel numero plura, utcunque enim hæc obducantur denique laudabili cicatrice, vestigium tamen relinquunt, vel sola majore albedine, quam reliquæ cutis, pristinæ læsionis.

Duo etiam præcipue heic cavenda sunt vitia in palpebra superiore, ut ne cutis ejusdem remaneat vel laxa nimis & pendula, aut quasi inflata, vel strictior & decurtata. Illud facile evenit, si cutis præmagno tumori olim superexpansa non abscindatur tempestive, quousque redundat; hoc, si nimium de labiis vulneris cutaneis deperdatur. Si incisio longior, & ab uno cantho ad alterum usque sit facienda, hæc in summitate potius, paulo infra supercilium infligenda est, sic enim sub illa eminentia orbitali arcuata occultatur facilius inducta cicatrix, & absorbetur quasi per plicam cutis palpebræ naturalem: immo si perpendicularis insuper incisio sit adjungenda, quæ priorem ad angulos vel rectos vel acutos decussat, tum inter pilos superciliares velabitur minimum superioris incisionis cicatrix. Itaque post sufficientem suppurationem adductis ad se invicem magis magisque labiis vulneris, eisque, si jam in extremo occaluerint, recentibus redditis per affrictum lapidem infernalem vel subtilem scarificationem, balsamicis ac desiccantibus agendum est, lenibus quoque per imposita spleniola compressionibus, eaque per strata emplastrorum imbricata, methodo, quam infra (§. 28.) descripsimus. Talia vero emplastra, aliquandiu post formatam jamjam cicatricem, quotidie repetita, sunt continuanda, neque cicatrix novella præcociter libero aëri exponenda. Singularem jam casum illum, quem ante aliquot menses sub manibus habuit Præses, spectantibus Philiatris omnibus, thema hoc dissertationis non parum, quod speramus illustraturum, superaddimus.

§. 17.


Anna Maria Geigerin, e pago *Gross-Eislingen*, præfecturæ *Gœppingensis*, æt. ann. 24., bene colorata, habitus corporis torosi, ceteroquin sana, si dolores aurium, dentiumque, quos plus

plus semel experta est, excipias, aliás vero, ut refert, parce ac raro menstruata, & jam a trimestri plane non. Muniis inter hæc servilibus strenue semper defuncta: ante 10. vel 12. annos monita est, ipsa non advertens, de *corpusculo*, pisi magnitudine, non rubente, nec dolente, *quod* sub cute, *palpebram superiorem* dextri oculi occupaverat fere mediam, proxime infra arcum apophysis orbitalis ossis frontis, absque omni prævia, ipsi cognita, sive externa sive interna causa. De malo, ipsi nullatenus molesto, minus sollicita, nihil opposuit parvis hisce magni mali principiis, donec post lustri decursum, tumorem hunc, lentis incrementis adauctum in nucis usque juglandis magnitudinem, chirurgo cuidam pagano commiserit, qui, abscessum, vel aliud, nescio quid, exemptu facile suspicatus incisionem suscepit, sed emanante non nisi copioso sanguine, deterritus festinavit inflicti vulneris quam potuit ocissime consolidationem.

Crevit dehinc *successive tumor*, versus interiora orbitæ procul dubio magis, quam ad exteriora; nam eodem tempore, quo externe conspicuus erat nonnisi mole nucis juglandis, ante 7. scilicet annos, expressit tamen bulbum oculi e sua orbita, ac sic dictam *oculi procidentiam effecit*, unde hic crepans, summis cum dolorum tormentis, manationem serosam ac purulentam reliquit per 14. dies, donec *bulbus jam longe contractior factus subsederit*, & coaluerit iterum vulnus ejusdem: ad idem vero tempus usque, ut *visus successive decrevit*, crescente tumore, sic post modo dictam bulbi crepaturam atque suppurationem, *deletus plane est, ac perstitit abolitus*. Denique *nupera hyeme velox & notabile, quin stupendum, & spectatoribus nauseabundum cepit tumor hic incrementum*, imo vel ultimâ, ante susceptam haud ita pridem extirpationem chirurgicam, hebdomadam biga, exiguo igitur temporis intervallo majus atque majus sensibiliter accepit augmentum.

§. 18.

Unde Proceres Gœppingæ, mulieris miserti, *Præsidentem* hujus Disputationis oravere, quin exorarunt, ut, cum varii & Medici & Chirurgi manum admovere operi non aude-



rent, ejus fusciperet curationem. *Is* coram adspiciens atque explorans ægrotam, *observavit* tumorem occupare totam non modo regionem palpebræ superioris, ab uno ad alterum oculi angulum, sed & sub cute per radicem nasi ad alterum vergere oculum, sanum, visuque præditum perfectò, lillumque magna parte obtegere, dextramque palpebram superiorem sic deprimere, ut plane non potuerit elevari, oculusque, quod vocant, aperiri: imo supra marginem orbitalis processus ossis frontis eminere pollicis latitudine, sic ut tumor hicce media sui parte, qua fuit crassior, & quasi ventricosus, *magnitudine pugnum vivilem excesserit.*

Figuræ autem fuit irregularis, & e tribus fere globis, quorum maximus in medio eminebat, fastigiatus, minor versus nasum inclinabat, alterumque oculum sanum, minimus ad canthum oculi externum, compositus. *Cute* obductus fuit *integra*, nullibi vel inflammata, vel excoriata, vel exulcerata, sed *vasis varicosis*, calami anserini fere amplitudine, atro cruore infartis, ac in cute livescentibus, ob cuniculos nonnihil elevatos inæqualiter turgida. *Dolor* tumoris *nullus*, vel spontaneus, vel ex attactu, etiam si rudiore, nec reliquarum partium vicinarum & remotiorum. Attactu vero durus & renitens percipiebatur, insimul sessilis, sive immobilis, nisi obscure & debiliter illo tantum medio ejusdem, & elatiore vertice. *Palpebrarum* dextri lateris *motus* contractorius & elevatorius pariter ac *facultas videndi plane sublata*, *bulbi* vero ocularii, *corrugati*, & complanati pars anterior, cum sua tunica *cornea plane opacata*, & albescente, inter tumorem superne dependentem, atque palpebram inferiorem depressam, prospiciebat aliquantum, elato & nonnihil remoto ad superiora per digitos tumore. In specie vero *palpebra inferior dextra* versus canthum oculi internum fuit insuper *notabiliter tumida*, dura, lividique coloris: & per transversam palpebrarum rimam, sive naturalem hiatum *modicus* destillabat aliquando *humor*, *crassescens*, lemasque affigens palpebris glutinosas.

§. 19.

Itaque tumor hic & ex crescentia, *sebaceæ* ac *scirrhosæ* visus est

est Præsidi *naturæ & extirpationis* quidem *difficilis*, nec periculo vacaturæ, sed tamen *non impossibilis*, vel omni spe boni successus destitutæ. Hinc operationi chirurgicæ ideo quoque magis subjiciendum reputavit, quod omnis spes pharmaceuticæ curationis exularet, certissimus vero metus immineret, fore, ut prægrandis jamjam tumor, in immanem brevi non modo excresceret molem, alterum sanum exprimeret oculum, nares comprimeret, quin vel tandem ipsum os occluderet, & in abominandum descisceret spectaculum: sed malignum quoque morem, atque naturam carcinomatis indueret, e quorum vero malorum, vel alterutro, vel utroque conjuncto miseræ patienti, tandem esset miserrime succumbendum.

Sed aures vellicabat Præsidi non tantum propria confessio ægræ, de mensium suppressione, jam fere quadrimestri, sed & nulla hinc consecuta chlorotica cachexia, aliave hinc redundantia mala, imò suspicionem graviditatis augebant abdominis, & hypogastricæ maxime regionis turgiditas, mammaram plenior habitus, licet pressæ nullum per papillam redderent laticem. Unde serio & clam hortatus est ægram, ut si rem cum viro habuerit, candide aperiat, nec se discrimini vitæ, operatorem autem futurum opprobrio committeret. Ast hæc non sine indignatione graviter tulit hanc suspicionem, sancteque est contestata, sibi nunquam cum viris illegitimum intercessisse commercium, menses vero semper parcos fuisse ac vel postponentes, vel secunda, tertiave periodo demum revertentes. Quamvis autem lubricis ejusmodi assertis plenam fidem adhiberi non posse meminerit Præsides, tamen ob velox tumoris scirrhusi ac notabile incrementum, quodque brevi temporis spatio redditurum esset operationem chirurgicam vel omnino impossibilem, vel certe tanto periculosiorem, statuit, extirpationem tumoris & suscipiendam, & maturandam, omni adhibita possibili cautione.

Hinc, præparationis ad operationem gratia, præmisit lene laxans, unde quidem hæc mulier non nisi bis alvo mota est, & sequentem pulverem una cum decocto pro potu, per septimanarum bigam præcepit: ℞. lap. canc. præpar. ℥iij. Rad. on-


nid. ℥ij. - ari vino præpar. - irid. Flor. ana ℥ß. Tart. vitriolat. T. ℥j. Sacchar. lact. cryst. ℥iij. Cort. chaq. ℥ß. M. f. pulv. D. mane & vesperi tres cultri cuspides. ℞. Raf. lign. sassafr. ℥ß. Rad. gram. ℥ij. - bardan. - scorzoner. - acetos. ana ℥j. Fl. til. ℥ß. sem. fœnic. ℥ij. M. C. C. D. S. Stücke zum Trancf, und das Pulver darinn zu nehmen.

§. 20.

Cum vero sub ipsa operatione de illis, quæ in aliis quoque incidunt, lipothymia e. g. & hæmorrhagia, hac vero ob multas tumoris venas varicosas in præsentis casu graviore metuenda, non modo prospicere, sed & in varios casus, & præcipue vel tumoris solius, vel bulbi ocularii una extirpandi, cutis palpebræ superioris conservandæ ac decoræ olim cicatricis inducendæ &c. oportuerit esse paratum; itaque varia *supellex remediorum, instrumentorum, fasciarum, spleniorum, lintei carpti* &c. ante operationem instituendam decenter est comparata, atque ad promptum disposita usum. Scopo analeptico & temperante propinata sunt, aliquot horis ante operationem, & sub ipsa durante semel iterumque aliquot cochlearia: ℞. Corall. r. præp. Pulv. antepil. March. Lap. cancr. succo citr. satur. ana ℥ij. Nitr. crystall. ℥ß. aq. beton. - ceras. n. - violar. - bugloss. ana ℥ij. Conf. alk. inc. ℥iij. Sir. r. id. ℥vij. M. D. Summo mane etiam exhibita ossa e jure carnis.

Hæmorrhagiæ destinata sunt: alcohol. spir. vin. crepitus lupi: spleniola quadrata e linteo quadruplici: linteum carptum, indigestum, sive, quod vocant, brutum: cauteria aliquot ignita: Pulv. stegnoticus, ischæmus seq. ℞. Sang. Drac. Oliban. Tragac. ana ℥j. Farin. volat. ℥ß. Terr. sigill. Siles. r. Bol. Armen. ana ℥ij. Alum. crud. ℥j. M. f. pulv. subtil. cum album. ovi conquass. miscend. ante usum. S. blutstillendes äusserliches Pulver.

Ad usus secandi, exscindendi, separandi, abscindendi, ligandi: varii scalpelli, recti, falcati, in specie vero ancipites duo myrtiformes, suo manubrio firmiter, citra mobilitatem, conferruminati ac stabiliti: Volsella, quali in anatome utimur: hamuli: specilla sulcata: forfices, rectæ ac curvæ: acus ancipites,




pites, chirurgica, rectæ ac curvæ, filum duplex ceratum trahentes. Lectus etiam in hypocausto, & juscula carnis calida jussa sunt parata haberi; nec non spongiæ, aqua calida, acetum, & vasa ad sanguinem excipiendum.

§. 21.

Itaque in sellam collocata muliere erecta, ex obliquo fenestrarum, ab assistente Chirurgo jurato, *Dn. Sturmio* ejusque famulo capite & brachiis firmiter detenta: E directo ac proxime assidens mulieri *Præses*, illius pedes inter sua comprehendit genua, tumque invocato DEI auxilio, spectante, me respondente & Dominorum Philiatrorum corona d. 27. Julii, h. a. mane hora octava *extirpationem* tumoris suscepit, ac intra quadrantem horæ feliciter *perfecit, sequentem in modum*:

Scalpello nimirum ancipite myrtiformi, quod citra cardinem junctum suo erat manubrio, incisionem cutaneam, proxime ad arcum processus orbitæ frontalis ab angulo externo fecit transversam ad angulum usque internum non modo, sed & super radicem nasi usque in angulum oculi alterius sani, itaque super totum scirrhusi tumoris dorsum: Dehinc similem cutaneam incisionem, sed perpendicularem, & quæ transversam illam in medio decussaret, inflixit, trium fere pollicum longitudine: Separavit dehinc quatuor cruciati hujus vulneris angulos cutaneos a subjecto & adhærente scirrhuso, diductisque per volsellas angulis hisce, ipsius scirrhusi tumoris radices separando a radice nasi, bulbo oculi, ejus musculis, & fornice orbitæ, profecutus est. Magnum sanguinis, quod hinc successit ex apertis varicosis vasis, nonnullisque arteriis, diluvium injecit aliquam secanti moram, in abstergendo & compescendo per spleniola, alcohole vini madida, linteumque carptum, in eo pariter imbutum, sanguine. Digitos tamen & scalpellum brevi denuo immisit cruento vulnere, & quam potuit caute ac celeriter stupendum hunc scirrhusum, integrum sine ulla laceratione radicitus ex ipso etiam orbitæ fundo digitis extraxit, atque extirpavit.

§. 22.



§. 22.

Præstita sic feliciter hac *extirpatione*, digito statim *explorare cepit* ubivis, num occultæ forsan alicubi in orbita, angulis oculi, circa glandulam lacrymalem, vel alibi resisterent tumoris radices, aut solitaria distincta tubercula? cum vero horum nihil quidquam, sed totam fornicis orbitalis partem dimidiam superiorem periostio denudatam, lævem tamen ac politam detexisset, ad vulneris purgationem a grumis, quantum quidem hæmorrhagiæ metus permisit, orbitæ maxima nunc parte vacuæ, repletionem per linteum carptum, albumine ovi conquassato & pulvere ischæmo immixto, imprægnatum, ac spleniorum alcohole vini imbutorum, magnique splenii extimi sicci impositionem, totiusque oculi obligationem mediante fascia, quæ oculus audit simplex, properavit, ægramque in proxime adstantem lectum se componere, & jusculum carnis gallinacæ jussit haurire.

§. 23.

Sub initium & progressum operationis effusæ sunt e vulnere *duæ circiter sanguinis libræ medicæ*, sic ut extreme non tantum expalluerit mulier, sed & lipothymix proxima fuerit, quæ tamen debilitas & exhaustio plurimum adjuvit hæmorrhagiæ suppressionem. Post impositos vero plumaceolos ischæmos & splenia constitit torrens ille sanguineus. *Haud indolentem fuisse operationem* satis testata est ægra clamore & agitatione corporis, operatori molestis. Totum *extirpare oculum videbatur supervacaneum*, cum nulla tali labe laboraverit, post separatam illum tumorem scirrhosum, quæ sibi vindicaverit ulteriorem, longam, difficilem, novoque stipatam periculo operationem ac extirpationem. *Palpebræ superioris* vero *cuti* in separatione tumoris ideo *parcebatur*, ut ad finem curationis atque consolidationis duo vulneris transversalis labia facilius adduci, & nova caro generanda, quæ cavum orbitæ expleret, cute naturali palpebræ obduceretur pulchrius, quemadmodum & huic fini respondit eventus.

Quod


Quod vero tumor, œdematoso - emphysematicus visus, palpebræ inferioris in suo extremo ad angulum oculi internum intactus fuerit in operatione relictus, causa est, quod Præses spem conceperit fore, ut sublatâ jam per tumoris scirrhosi extirpationem, causa gravitationis & compressionis, hæc palpebræ inferioris intumescencia vel sponte, & mediante vulneris superioris larga, quæ expectari debebat, longa-que suppuratione, sit disparitura, vel discutientibus facile dissipanda, vel & si duro nodo durus denique sit opponendus cuneus, id commode reliquo fieri possit tempore, nec in mora periculum sit futurum.

Tumor scirrhosus extirpatus, & a cruore adhærente purgatus *pependit quinque uncias*, sive decem lotones, non sumpto in computum plurimo sanguine, qui è tumore ac integumentorum vasis varicosis effluxerat durante extirpationis operatione. Coloris fuit albicantis, figuræ irregularis, tuberosæ, in medio antico, ceu basi, fastigiatus, in postica autem facie conicus, apice coni, pollicis integri diametrum complente, in fundum orbitæ directo, in lateribus versus oculi angulos inæqualiter tuberosus & quasi proli-fer: nulla peculiari aut distinctâ cystide conclusus; uniformis, substantiæ solidioris, sebaceæ, ac in latere basis conici tumoris aliquam partem cartilagineæ duritiei, quemadmodum & ipsa aliquot vasa sanguinea vacua, albida, tumorem hunc trajicientia, notabilem crassitiem cum duritie obtinuerunt. Nil vero quidquam organici, nullam vel glandulæ lacrymalis vel muscoli vestigium exhibuit:

§. 24.

Ipsa reliquo, post operationem peractam ac subsequo die, continuatio mixturæ temperantis, analepticæ, ac antispasmodicæ, supra descriptæ, una cum diætâ tenui, abstemia, frequentibus tamen jusculis carnis, chærefolio recenti medicatis, quiete corporis & animi, præcipiebantur. Famulus vero chirurgicus die nocteque jussus est agræ assidere, & num hæmorrhagia redeat, invigilare?

Altero ab operatione die d. 28. Jul. circa vesperam prima vice solvuntur fasciæ, ac linteum carptum, præmissa vini



tepidi ac spiritus vini irroratione & instillatione, caute removetur a vulnere, ac orbita eximitur ad ultimum usque stratum, quod ob metum revocandæ hæmorrhagiæ relictum est. Detecto sic vulnere ac orbitæ cavo, nulla secuta est hæmorrhagia: *nullum* in orbitæ osse, quod naturaliter affixam habet glandulam lacrymalem, *hujus glandulæ vestigium*: *oculi bulbus* cum omnibus suis musculis *illæsus*: hic ibi in orbitæ parte concava, ac superficie, *periostii defectus*, os nudum: *ossa* vero *orbitæ* cuncta lævia, albida, *sana*: *margo frontalis orbitæ*, prope angulum oculi internum, ubi cartilaginea tumoris scirrhusi pars adhæsit, sicut in ipsa operatione *nudus*, *asper* acutusve digito operatoris se stitit, ita & jam post ablationem impositi apparatus chirurgici, *asperulus* tangebatur. Incertum an ex levi carie, vel avulsa saltem cum scirrhuso portiuncula ossis? In subsequa vero tractatione nulla cariei symptomata se manifestarunt.

Labia vulneris, vicinæque partes pro more tument leviter. Nulla adhuc suppurationis indicia. Levem in vulnere ardorem ac tensionem sensit ægra, & nonnisi depresso ventriculi dolore queritur: *pulsus* tamen lentum habet ac debilem.

Munitur vulnus & expletur orbita denuo linamentis carptis, albumine ovi conquassato, ac unguento digestivo ordinario, cui pulvis ille stegnoticus erat commixtus imprægnatis, locus vero orbitalis marginis *asperulus spleniolo*, Essent. myrrh. sine sale alcalino parata irrorato, spleniis vero aqua scopetaria imbutis, fasciaque. Exhausto, quod reliquum est prioris mixturæ, hæc sequens continuetur in sistoria, quantitate 4. cochlearium. ℞. Lap. cancr. citrat. Pulv. March. -- Pannon. r. c. ana ℥ss. Nitr. puriss. ℥j. cort. chaq. ℥ss. aq. ceræf. n. -- beton. -- scorzon. -- scord. ana ℥ij. Sir. papav. errat. ℥vj. M. Proxima nocte hora decima sumat Theriac. coel. Wirttb. gr. ij.

§. 25.

Die 29. Jul. Nullum apparuit extraordinarium, vel morbosum phænomenon. Intumescencia labiorum vulneris aliquantum subsedit. Dolor ventriculi imminutus. Appetitus soli-


solidorum ac liquidorum magis viget. Alvus constipata. Pulsus æqualis, & hesterno vividior. Vulnus obligatur ut heri. Relictum linteaminis carpti ultimum stratum, non extrahitur totum, sed forfice tantum circumciditur ac minuitur suspensa manu. Ad noctem præbeantur Liq. C. C. succinat. gr. xx. e mixtura heri præscripta, quæ & singulis sibi solitaria repetatur. Præbeantur loco prandii pruna damascena exsiccata & cocta, ad alvum lubricandam: victus autem de reliquo sit tenuis.

Die 30. Jul. suppuracione serosa incipiente, deligatio bis quotidie institui cœpta, & relictum huc usque ultimum linteum carpti stratum, vino calente prius humectatum, nunc decerptum & exemptum absque ullo sanguinis fluxu.

Die 31. Jul. Hæc iterum multisque sequentibus diebus mane ac vesperi repetita est deligatio vulneris quotidie. Suppuratio laudabilis succedit, facta detersione placida per specillum cochleatum, molli linteum carpto obvolutum, plumaceoli unguento digestivo, aliquando etiam remixto cum Balsamo Arcæi, orbitæ vero ossibus petiola linea, essentia myrrhæ imprægnata, & bulbo oculi, per palpebrarum commissuram prospicienti, & ob pristinum tumorem scirrhusum, plus justo prominenti splenium crassius, imponuntur, sicque sursum placide is reprimitur, ut in naturalem suam sedem, orbitam, se reciperet magis magisque. Nihil vel febrile vel spasmodicum, vel aliud quidquam, quod malum portenderet omen, huc usque supervenit. Alvus etiam respondit, & cardialgia penitus cessavit.

§. 26.

Primis Augusti diebus portiuncula scirrhusi tumoris super fornice ossium nasi relicta fabæ magnitudine, consumi tentata est insperso leni pulvere septico e rad. aristol. long. ver. -- irid. Flor. ana ℥j. alum. ust. ℥ss. sed impatiens fuit vel lenissimæ huius irritationis, quin incrementa capiens post aliquot dies, coëgit Præsidentem recurrere ad radicalem excisionem mediante scalpello, quam vero in tertiam abhinc septimanam differre oportuit ob interveniens duabus vicibus erysipelas totius dextrilateris faciei, auriculæ collique, prima quidem vice levius, &



brevi transitorium, secunda vero gravius atque longius, sed absque tamen præjudicio vulneris & suppurationis, quæ procedebant e voto. Propinata tum est sequens mixtura: ℞. Lap. cancr. præp. Conch. præp. Pulv. Pan. r. c. Nitr. puriss. ana ℥ss. Cort. chaq. gr. XII. aq. fumar. -- scorzon. -- card. ben. -- nymph. ana ℥ij. Liq. anod. min. H. ℥j. Sir. pap. er. ℥j. M. Ultimo insultu erysipelaceo feliciter superato, imperatum est seq. infus. theiforme, mane ac vesperi sorbillandum, libræ dimidiæ quantitate, ℞. Rad. aristol. long. ver. ℥vj. -- ononid. -- sarsapar: opt. ana ℥j. Scob. lign. Sanct. ℥i℥. -- sassafr. ℥vj. Fl. hyper. HB. melis. -- marrub. alb. ana ℥iij. Sem. fœnic. ℥ij.

Die 23. Aug. hæctenus in orbita nihil quicquam de pristino tumore repullulavit, sed laudabilis caro succrescere, & vacuum orbitæ cœpit resarcire, ipsa vero orbitæ ossa longe maxima parte perstant adhucdum nuda. Assumit hoc die ægra Sal. cath. Angl. Unc. j. cum ol. destillat. fœnic. gt. ij. & hinc bis tantum alvo mota est.

§. 27.

Die 24. Aug. *vesecta* funditus est non modo *portiuncula* scirrhosi tumoris, radici ossium nasi insidens, de qua paulo supra mentionem injecimus: sed & tumor, œdematoso - emphysematicus ab initio visus, *palpebræ inferioris* qui hæctenus tantum abest, ut sponte & ab imposita aqua sclopetaria fuerit dissipatus, ut jam potius in nucis juglandis magnitudinem, & globosam assurrexerit figuram, sedulo exploratus, ac *scalpello profligatus* est. Specillo autem tenui ad latus hujus globosi tumoris, in foramen hians immisso, deprehensus est sinum recondere sub se arcuatum, juxta ductum palpebræ inferioris in mediam usque hujus regionem. Unde immisit Præses aliud specillum sulcatum ad finem usque sinus, hujusque ductu immissa forfice optima subtili, discidit primum superexpansam tenuem cutem: digito exploravit apertam hanc cavitatem, multumque fungosæ carnis innidulantis partim digito expurgavit, partim scalpello excidit non minus, ac folliculum tumoris globosi, rubro livescens, primo digiti attactu statim crepantis, & sincerum, quo fartus erat, sanguinem etuctantis. E novo hoc vulnere modicus

cus manavit sanguis, lintei carpti, & spir. vin. irrorati, impositione cohibitus. His expeditis vulneris superioris in orbita & palpebra superiore cura ac deligatio mox est subjuncta, omnibus ibidem phænomenis voto ac expectationi respondentibus.

§. 28.

Tractatum porro est *utrumque vulnus* digestivis, balsamicisque, superiore quidem ad optimam consolidationem tendente, ast inferiore rebelli, & ob repullulascentem cito & copiose carnem fungosam, hic ibi indurescentem, valde suspecto. Hinc circa *Sept. initium* longa & profunda satis *incisione apertus est totus*, qui carnem fungosam aluit, *sinus*, & excisa omnis, quæ recruduerat, *fungosi concrementi massa*, atque duobus *feramentis ignitis sic repressa* & suffocata, ut inducta dehinc laudabili suppuratione, hic palpebræ inferioris longus & profundus sinus, quam optime, mediante primum oleo myrrhæ per deliq. parato, pulvillis instillato, dein balsamo Arcaei coaluerit intra tres septimanas, & consolidatus manserit. Proxima vero, quæ hanc unctionis operationem excepit, nocte, propinata ægræ est seq. Emulsio: \mathfrak{R} . Sem. pap. alb. \mathfrak{z} ij. - quat. frigid. maj. excort. ana \mathfrak{z} ss. aq. samb. - nymph. - cer. n. ana \mathfrak{z} ijss. bugloss. \mathfrak{z} ss. M. f. Emulf. Colat. add. Pulv. March. antimon. diaphor. ana \mathfrak{z} ss. Nitr. puriss. \mathfrak{z} ss. Sir. pap. alb. \mathfrak{z} vj. D. reliquis diebus continuari jussum theiforme infusum. (§. 26.)

Sub reliqua per Septembr. ad medium usque Octobris *tractatione* nihil obvenit notatu dignum, & femina hæc pancreaticæ vixit, floridumque, sub victu jam pleniore concessa, faciei colorem, vires habitumque corporis recepit plenissime. Vulnus quod super radicem nasi ad angulum internum oculi excurrebat, penitus, & æquali plana que cicatrice clausum, & ne fœdam relinqueret eminentiam, solícite impeditum est, impositis imbricatim petiolis, e tenui serico nigro (Taffetas) incrustatis emplastro diapalmæ, & superpositis spleniolis, fascia oculi communi appressis.

§. 29.

Laudabilis firma, rosea, sensilis caro, e fasciculo conico musculorum

sculorum oculi progerminans magis magisque *explevit vacuum orbitæ*, ipsam vero superficiem concavam superiorem ossium orbitæ nova membrana, ceu periostio, latiore atque latiore incremento perrexit obtegere. Lentius processit hoc negotium illo, sic ut externam vulneris consolidationem digestivis & suppurativis compesci & suspendi oportuerit, donec ossa fuerint undique perfecte membrana obducta.

Curaverat Præses jam inde a prima operatione & excisione tumoris scirrhusi, ut labia vulneris cutanea pulvillis, digestivo imbutis unguento, cuti suppositis, suffulcirentur, atque sic intempestiva & præcox accretio eorundem cum nova carne succretura, non minus ac eorundem limbi introversio præveniretur; Sed cum triduum peregre abesset, factum est, ut vulneris hujus labium superius parte sua anteriore concreverit citius pauloque ineptius cum producta nova carne supercilii, non satis scilicet elongata & complanata cutis illa parte, ut hinc in medio tumidula ac turgida quasi eminuerit tantillum; quæ vero laxior & eminens pars, uti successive impositis spleniis multum cessit, ita nullum est dubium, quin post aliquot menses, sponte penitus complanetur. Denique cum & *ossa orbitæ novo periostio* tota essent *obtecta*, & interna cavitas orbitæ laudabili carne undique repleta, & non nisi extima vulneris rima superesset consolidanda, hæc, utpote sicca tenui cuticula occalescens, bis lapide infernali defricari, & excitata hinc superficialis eschara abstergi tempestive debuit, unde *labia vulneris in totum & bellissime coaluerunt. d. 18. Oct. h. a.* & quatrduo post *domum reversa* est hæc mulier, ab illa oculi sarcina liberata, ac *persanata. DEO sit laus & gloria!*


§. 30.

Arcus superciliaris pilosus integer suoque loco, *palpebra vero superior cute sua naturali investita*, perstiterunt post sanationem. *Nulla ullibi deformis protuberantia. Bulbus oculi*, jam ante operationem susceptam contractior & splendore suo corneæ privatus, infra pendulus *se retraxit* aliquantum versus orbitam, & palpebra superiore tantum non totus est obtectus: palpebrarum, superioris & inferioris margines, sive *tarsi, servarunt*

varunt naturalem suam arciformem extensionem, citra omne vel ectropium vel entropium. Musculi hujus oculi quatuor recti conjunctas vires & actionem retrahendi bulbum, plus semel inspicienti comprobarunt *illibatas*, tam sub ipsa periodo suppurantis adhuc vulneris, & orbitæ nondum carne nova expletæ, quam post plenariam consolidationem, ubi bulbus ipse oculi aliquando retrahi conspiciebatur. Imo vero & glandulam lachrymalem cum suis ductulis excretoriis adhuc *in salvo esse*, licet sede sua naturali motam, videbatur arguere haud obscure, quod durante hac cura, & post vulneris artificialis consolidationem, per distinctas vices lachrymantis mulieris ob dolores e. g. sub cauterisatione perceptos, aliâs etiam propter suspectæ graviditatis opprobria, verum lachrymale liquidum ex interiore palpebrarum sede per genas exundaverit. Unde, cum liquidum hoc lachrymale, in sua glandula secretum jugiter ac super bulbum oculi excretum non perpetuo superaverit tarsorum aggeres, oculumque, quem vocant, plorantem effecerit, recte inferri putamus, quod & reliquæ lachrymarum viæ per puncta lachrymalia &c. manserint integerrimæ. An vero *palpebræ superioris motus elevatorius*, qui hucusque abolutus videbatur, sit *rediturus* postliminio, & de integritate sui musculi elevatoris testatura? *tempus docebit*. Nos certe nec curamus, nec optamus, sed mallems constanter potius obtectam manere difformem oculi bulbum.

Dimissæ post plenariam curationem mulieri suafum est, ut, sepositis quidem jamjam omnibus spleniis ac fasciationibus, orbicularem tamen pannum sericum nigrum, emplastro diapalmæ obductum, floreni magnitudinæ, impositum gestet, ac subinde renovet, minimum tota imminente hyeme, ac ab aère frigido arceat oculum: ipsius vero Magistratum per literas certiore reddidit Præses de fama & suspitione graviditatis, quam incurrerit hæc mulier cœlebs, ipsique legitimam commendavit inquisitionem & curam.

T A N T V M!



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DN. RESPONDENTI
PRAESES.

Vacuum, quod ad calcem dissertationum aliquando relinquitur, moris est explere Dominorum Respondentium encomiis. Haud invitus huic mori & ego morem gero, dummodo ipsi à studiorum atque morum laudibus non fuerint vacui. Qui enim in curriculo suo academico strenue ac laudabiliter ad metam contendent, laudum pariter ac commendationis laurea merentur coronari. Id vero Te in nostra non tantum, sed & Argentinensi Universitate sedulo egisse oculis auri- busque meis exploratum habeo. Præter reliquos igitur Tuos in literis physico-medicis profectus, quos nuperrime comprobasti in exantlatis summa cum laude publicis examinibus, illos etiam tanto magis laudo anatomicos atque chirurgicos, in specie in Embryulcia, quo minus hæc studia vulgo coli solent pro dignitate ac summa, quam præstant, utilitate. O felicem itaque Patrem, cui talem gratulari licet filium! sed & felicissimum filium, cui talis obtigit Pater, qui filium a teneris unguiculis non destitit talibus morum atque literarum præceptis, imo & Suo Ipsius exemplo imbuere ac confirmare ut, quæcunque erga DEum, proximum atque Se ipsum subeunda sint officia jam non intelligat magis, quam mascule perficere valeat ac ornare. Quæ ut læto successu eveniant animitus precor, officia spondeo & benevolam mei commendo Tibi memoriam.

